

S. Basil.

Deipara tota mitis.

S. Bernard.

apum vel non habet aculeum, vel si habet, eo non utitur, maiestate tantum armatus. Et S. Basilus proximè relatus de Apum Regina ajebat: Mansuetudine morum ceteris omnibus antecellens. Quid de Deipara nostra dixerim? Apum Regina est sine aculeo: non severa, non rigida, tota mitis, tota benevola, mansuetudine ceteris omnibus antecellit. Rectè proinde Bernardus in ser. de verbis Apocal. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. Et infra. Quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis, & gratiæ, plena sunt mansuetudinis, & misericordiæ.

2211 Hæc mitissima Apis, à sua prima creatione, tam pura, tam florida, tam Regina, in alvo sua, tanquam in alveo, artificiosè confrixit, & affabrè conformavit Dominicum Christi corpus, quasi mellitum favum suum, omnigenæ gratiæ dulcedine plenum. Etenim apum mellificum ore ipsarum elaboratur; ore enim fugunt cælestem illum rorem floribus, frondiumque lanugine insidentem in subtiles orbes conglobatum. Ore etiam Virgineo melleum Incarnationis opus elaborari cepit: nempe statim atque illud protulit dulcissimum verbum: Fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1. 16. tunc ad illam Filius & Sponsus ejus: Favus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua. Utrumque enim locum sic componit Guilielmus apud DelRio cap. 4. Cantic. v. 11. Nec morata Virgo: Ecce, inquit, ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc planè est verbum dulcissimum, quod & Angelos & homines desiderabant audire: hoc verè est mel & lac, quod erat sub lingua Virgini. Similiter S. Bonaventura in Speculo B. Virg. c. 16. ad illud Isaia 57. Creavit fructum laborum, sic præclarè: Fructus ventris Mariæ benè potest dici fructus laborum Mariæ, quia dum de labiis suis stillaverunt melliflua verba illius: Ecce ancilla Domini, &c. statim concepit mellifluum fructum suum. O verè melliflua labia! sicut dicitur in Cant. favus distillans labia tua Sponsa. Videtis Hugonem Victorinum to. 2. ser. de Ass. B. Virgini, ubi inter alia illud premas: Favus mel & ceram habet: mel divinitas est, cera humanitas. Favus, Verbum caro factum est in Virgine: ac si Deus dicat: Ego expertus sum, quod laudo: favus distillans labia tua. Ego devinctus tibi charitate, osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expressi. Sibi invicem dulces fuerunt Jesus & Maria: Jesus mel in ore Mariæ, Maria mel in ore Jesu. Maria totam in se divinitatis dulcedinem suscepit; Jesus mellitam humanæ naturæ suavitatem cum omni gratiæ dulcedine per Incarnationis mysterium.

Ore virginis mellicium Incarnationis opus elaboratum.

Guiliel.

S. Bonav.

Hugo Victor.

2212 Vixdum ea verba Maria ore suo formavit, cum in ejus utero Verbum caro factum est, elaborato ex purissimis Deiparæ sanguinibus corpufculo Jesu, quasi mellito favo. Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius, ajebat Siracides cap. 11. 3. undecimo, v. tertio. Græcè pro brevis est parva. Pro initium verò, principatus dulcorum ponitur. Vel si initium retineas, ut par est, initium erit finis, origo, & causa dulcedinis. Unde Tigurina: Parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus origo dulcium. Quod in Deiparam, & ejus mellitum favum bellissimè cadit. Brevis ipsa, & parva inter omnes

Ecc. 11. 3.

Tigurin.

apicula ob eximiam animi demissionem, qua se tantopere exinanivit cum ad infinitam prope modum maternæ dignitatis sublimitatem evereretur: Ecce ancilla Domini. Certè est placuit ex virginitate hæc mundissima Apis, de humilitate tamen concepit, ut loquitur Bernardus Homil. prima super Missus est. Favum fabricavit mellitissimum, qui principatum tenet dulcorum, & initium est, fons, & origo dulcedinis totius gratiæ & gloriæ; Jesum nempe, qui fructus Mariæ est.

2213 Sed habeo hic quid cursim observem pro originaria Deiparæ immunitate, quæ nihil mihi potius & antiquius est. Audisti aliquando Bernardum sic loquentem, & Mariam venustè Matri Evæ opponentem? Redditur famina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vite, & pro venenoso illo cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Ita in serm. de Aquæductu. Et Marianam humilitatem Evæ superbiæ opponit: & sicut per superbissimam Evam mortis peccatiq. amaritudo introducta est, ita per humillimam Deiparam, dulcedinem æterni fructus ad nos profluxisse, statuit. Hic illud iterum revoco Gen. 3. vers. 15. Ipsa (& ipse) conteret caput tuum. Alibi probavi supra, ex Hebræo posse propriè transferri: Conteret citò, velociter, in momento, primo quoque instanti caput tuum. Id est, originale peccatum, quod superbiæ peccatum fuit, ab Orco per serpentis fauces, exhalatum, & venenoso illo amaritudinis cibo in Evam transfusum & inventum. Originale, inquam, peccatum, quod caput, Hebræicè, Initium, principium, principatusque fuit totius fellis, & amaritudinis. Contritum totum hoc à Deipara, vel à primo suæ Conceptionis momento; longè enim sublimior Mariana fuit humilitas quam insolentissima Evæ luciferiana superbia: Eva per superbiam suam fellem peccati amaritudinem nos infecit & replevit; Maria per suam humilitatem mellea gratiæ dulcedine nos refecit & complevit: pro venenoso illo cibo amaritudinis, dulcedinem peperit fructus æterni; Christum videlicet, fructum Mariæ, qui initium, principatus, & origo est omnis dulcedinis. Hinc Rupertus in cap. 4. Rupert. Cant. v. 11. Christum inducit pæ Matri dilectæ Sponsæ dicentem: Favus tuus ego sum, mel tuum ego sum, quia Deus tuus, & Filius tuus ego sum.

2214 Cum igitur hic mellitus favus Mariæ sit, quia fructus ejus est, ab ipsa tanquam ab argumentosa Ape studiosè elaboratus; quidquid jucunditatis, quidquid dulcedinis, quidquid gratiæ & gloriæ ab hoc dulcedinis favo in homines & Angelos profluit, ad Matrem Virginem spectat, ei acceptum referri debet. Ut jure merito ipsa dicere possit: Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.

Illud hic unum cursim observandum: nempe, quæ hæctenus diximus, ad aliam Eucharistiæ posse etiam referri; hoc enim maximum Sacramentum Mariæ Hæreditas est (præ melle & favo dulcis, ut supra probavimus) Mariæ arte, manu amoreque condita, apparatus; Mariæ esca dulcissima; à Mariæ melleis manibus, dulci amore, & sapida industria; de quo nonnulla prænotavimus à n. 767. Illa hic Ambrosii verba melle fluunt dulciora s. Amb. in Pl.

S. Bernard.

Maria humilitas Evæ superbiæ opposita S. Bern.

Gen. 3. 15.

sua humilitate contrivit superbiæ caput fellem.

Eucharistiæ est Mariæ hæreditas.

in Pl. 21. Ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis & splendida, suavis, & Virgo: quæ velut calidius veniens cum cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem

qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit. Ferè eadem verba repereris apud S. Maximum Homilia in Ramis palmarum.

Verf. 28. Memoria mea in generationes sæculorum.

ARGUMENTUM.

Semper intuitu meritorum Jesu & Mariæ colata gratia.

VT probent adhuc Christus, & Deipara, se totius esse gratiæ thesaurum, fontem, & scaturiginem, statuunt, nullum ex priorum hominum cætu, vel à mundi nascentis primordiis, in elapsis sæculis extitisse, atque in elabendis extuturum, qui omnem suam gratiam ab illis non accepit intuitu meritorum ipsorum, anticipatâ, ut dicitur, solutione: quasi Jesu & Mariæ ipsa dumtaxat memoria ad id satis fuerit: non enim nisi in Christi, & quodammodo in Deiparæ fide, ulli concessa est animæ salus, salutisque incrementum.

TEXTUS ENODATUS.

2215 D Esiderantur hæc verba in omni Græco exemplari, quæ nunc extant; sed fideliori usus est noster Interpres, ideò retinenda, ut correctiora retinent Biblia, & Expositores. Janfenius existimat, sermonem hic esse de lege, quæ relicta sit ad conservationem memoriæ. Quò spectat alia Hugonis Carenfis interpretatio, existimantis, memoriæ hic esse Sacramentum Eucharistiæ, vel documentum sacræ Scripturæ. Fuldenfis Abbas Rabanus ita explicat: Memoria sapientiæ Dei (id est, Christi) in generationem omnium sæculorum permanebit, quia ipsam laudant Angeli, collaudant Archangeli, vaticinantur Prophetæ, prædicant Apostoli, omnisque militia cælestium virtutum, & infinita multitudo Sanctarum animarum adorant, & glorificant in æternum. Consimiliter Lyranus, & Carenfis. Palacio autem sic: Nullum fuit, nullumque erit sæculum, in quo inter homines pios non fuerit memoria mei. Ab Adam usque ad finem sæculi habuit, & habebit suos divina Sapientia amatores, qui dicant; Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio anime. Isa. 26. Nam SS. illis Patribus sapientia apparebat in specie humana, Christianis apparuit in vera carne; ideò & hi, & illi Christi memoriæ habent in desiderio anima. Denique Carthusianus propius accedens ad argumentum nostrum sic Siracides enodat verba: Sancti quique devoti jugiter memores erunt sapientiæ. Si enim memoria justis cum laudibus, quanto magis memoria justificatoris omnium justorum manebit usque in finem cum laude. Addit, posse memoriæ hic accipi pro illa, qua Deus nostri est memor, dum nos tuetur, nutrit, prædestinat, justificat, glorificat. Et in hoc sensu nonnulli capiunt illud Psal. 101. 13. Memoria mea in generationem, & generationem. Et illud Psal. 111. vers. 7. In memoria eterna erit justus: nempe in æterni Dei memoria, qui prædestinat, justificat, & glorificat.

Psal. 101. 13. Pl. 111. 7.

Memoria pro fama & gloria.

2216 Accipi solet memoria, non solum pro recordatione, sed etiam per metalepsin pro fama, & gloria: ut noster accipit Siracides capit. quadragesimo sexto, vers. decimo quarto. Ildeph. de Flores in Eccles.

to. Memoria illorum in benedictione. Et cap. Eccl. 46. 14. trigesimo nono, vers. decimo tertio. Non recedet memoria ejus, id est, fama & gloria, uti statim explicat: & nomen ejus requiratur à generatione in generationem. Sumitur etiam non semel memoria metonymicè pro monumento erecto ad memoriæ, & gloriæ alicujus. Sic Ecclesiæ Martyribus dicatæ appellatur memoriæ ipsorum ab Augustino lib. vigesimo secundo, de civit. Dei, cap. decimo, & à Cypriano passim. Lege Baronium in Præcapitulatione ad Martyrologium cap. 4. Sic etiam memoriæ vocari solebant dies Martyrum festi, in quibus recolebantur, ac prædicabantur heroica ipsorum facta. De quo Cyprianus l. 3. Epist. 7. & lib. quarto, Epist. 5. Et cum memoria, Græcè sit µνησιν, perinde etiam erit, atque memoriale, seu pignus, quod ad memoriæ conservationem solet dari.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo, ac Deipara.

2217 E X fide certum est, absque ulla controversia (ut tractat severior Theologorum schola) Christum Dominum morte sua non tantum nobis, qui post illam nati sumus, sed etiam antiquis Patribus, qui ab origine mundi fuerunt, omnia gratiæ dona promeruisse. Ita enim aperte definitum est in Concilio Tridentino sess. 5. donantque S. Augustinus Epist. 120. ad Honoratum, & lib. 2. de Peccato, meritis & remissione cap. 11. & Epist. 49. ad 2. quæstionem. S. Hieronymus cap. quarto, Epist. ad Galatas initio, S. Gregor. Magnus Hom. decima septima in Ezechielem & alii multi.

2218 Cum autem Christus sit non hominum solum, sed etiam Angelorum caput, de illius plenitudine omnia similiter gratiæ dona ab Angelis accepta, tenendum est. Id enim sonant illa Pauli verba ad Coloss. cap. secundo, vers. decimo. Estis in illo repleti, qui est caput Principatus, & potestatis. Unde Augustinus concio. 3. in Psalm. 36. Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt justis, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum; ut una illa civitas fiat sub uno Rege, & una Provincia sub uno Imperatore. Eadem est S. Cyrilli Alexand. mens lib. 5. in Isaïam, Hilarii in Pl. 139. Ruperti lib. 3. de Processio, Spiritus sancti c. 21. & S. Thomæ 3. p. q. 8. a. 4. Consule nostros Justinianum, & Cornelium in c. 1. ad Ephes. & ad Coloss. 2. & Interpretes sacros ad illud Joan. cap. 1. vers. 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, id est, omnes gratias. Ubi sanctus Thomas: Omnes etiam Angeli; quia plenitudo gratiæ, que est in Christo, est causa omnium gratiarum, que sunt in intellectualibus. Et sanctus Gregor. lib. 1. in Reg. c. 2. & Hom. 14. S. Gregor. D d d 2

in Ezech. Nullus hominum, neque Angelorum sanctus est nisi per Christum. Videtur Suarium 3. p. disput. 23. sec. 1. & disputat. 42. sec. 1. Galatinum lib. 3. de Arcanis cap. 4. Jacob. de Valencia in Psalm. 102. Vegam in cap. primum Apocal. Commen. 1. sec. 9. qui omnes late & erudite probant, gratias omnes, etiam in Angelos, a Christo, ut a capite profuere. Imo bono quodam sensu ait S. Bernardus ferm. 22. in Cant. Christum fuisse Angelorum Redemptorem. Quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum Angelis fuisse redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laboretur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens: & hac ratione fuit aequè utriusque redemptio, solvens illum, & servans istum.

S. Bernard.

Quid de Deipara sentiendum. P. Suar.

2219 Hæc autem, quæ de Christo dicuntur, similiter dicenda sunt de ejus Matre Deipara: propter hanc enim (ut non pauci cum Suario nostro autumant) tam homines, quam Angeli non sunt facti, & conditi, & sua quique naturâ donati, sed etiam propter illam prædestinati ad gloriam, & electi ad gratiam, ad id quidem prævisis a Deo & præcitis Virginis meritis non condignis, sed congruis, quibus & humanæ & Angelicæ creaturæ multa naturæ, & gratiæ bona impetravit. Quod si hæc non multum tibi placuerit existimatio, placebit tamen nostri Salazarii mensa de. 31. Proverbiorum vers. 29. numero suo 200. existimantis, quamvis Maria Angelis gratiam & gloriam non obtinuerit meritis suis, quemadmodum nec Christus suis, ut ipse putat; illis adhuc suæ naturæ, sediumque restaurationem & accidentalem lætitiâ maximam, aliâque accidentalibus dona, quæ ipsi ex mysterio Incarnationis, & ex hominum salute acciderunt, illis omnibus promeruisse; quidquid enim Christus Dominus mediator omnium meritis suis condignis adeptus est, id totum Virginis meritis congruis respondet, tanquam mediatrici. Quod latè Salazarinus probat, & eruditè, ut affolet. Vide quæ diximus supra ad vers. vigesimum quartum, & 25. in illustratione pro Deipara.

R. Salaz.

Vol à mmm di exordio celebris exeat Christi & Deipara memoria propter eorum beneficium.

2220 Igitur ad hæc designanda & exprimenda, quid luculentius aureo connexionis filo deducto, quam illa ejusdem Jesu, & Deiparæ verba? Memoria mea in generationes seculorum: vel, ut Græcè habetur; memoriale meum, seu pignus in generationes seculorum. Hispani enim dicimus de illo, qui rem gran-

Verf. 29. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

ARGUMENTUM.

Gratiæ & Gloriæ cibus, potusque absque fastidio.

Statuerant Jesus & Maria, se, suaque gratiæ dona longè esse melle favoque dulciora: id ut suadeant, degustandus fustus ipse cum melle datur; sic enim ab affectu facile constat de gratiæ & gloriæ dulcedine supra omnes alias dulcissimarum rerum suavitates: quippe hæc multum comedentes tæ-

dem præstitit, sitivè suo nomine: Dejo memoria de si: abra siempre memoria del: præsertim si beneficium semel præstitum perseveret. Etenim vel a prioribus mundi generationibus, id est, hominum & Angelorum creatione, celeberrima extat Christi & Mariæ memoria, salvis pignus & memoriale: quandoquidem tam Angeli, quam Homines & propter Christum, & propter ejus Genitricem ad gratiam electi, & ad gloriam fuerunt præordinati. Proinde de Christo Domino præcinebat David Psalm. centesimo trigesimo quarto. Domine, memoriale tuum in generationem & generationem. Pampolianus nomen Jesu interpretatur honorandum perpetuè, & memorabilem ejus misericordiam in præsentibus, & futura generatione. Alii pro memoriale legunt memoria; nempe propter beneficia creationis, redemptionis, electionis, & defensionis, ut exponit Genebrardus.

2221 De Virgine Matre copiosè Ecclesiastici verba explicat S. Vincentius Ferrariensis s. Vincen. fer. 2. de Nativ. Mariæ. Istud verbum dicitur Ferrarian. in persona Virginis: memoria scilicet meæ natiuitatis in generationes seculorum. Deinde distinguit duo sæcula; primum creaturarum spiritualium & incorruptibilium, & secundum creaturarum corporalium, & corruptibilium. Primum est cælum imperiale & Angelicæ; secundum est terra & omnes creaturæ. Creatio istorum duorum appellatur generatio. Dicit ergo Virgo Maria: Memoria mea in generatione, scilicet cæli & terræ figurata sunt, & declarata, & demonstrata. Itaque statuit, Deiparam præfiguratam in lucis creatione & commodis, quod eruditè pertractat. Cumque illa verba expendere; Vidit Deus lucem quod esset bona, hæc subtextit: Ecce natiuitas Virginis Maria. Videre fecit quod esset bona. Nam bona erat Angelis, quia per eam reparantur eorum cathedra; bona hominibus, quia per ipsam habent redemptionem, &c. Quibus verbis evincitur, quam jure merito dicatur memoria Deiparæ in generationes seculorum extare; quatenus videlicet propter illam, & intuitu meritorum ipsius, tot bona in Angelos & homines profluxere.

Aliter hæc verba explices: Memoria mea in generationes seculorum: id est, omnium temporum gentes mei honorificam mentionem facient: nam B. Virgo, inquit Carthusianus, est toto orbe famosissima, non apud Christianos modò, sed etiam Turcas, ut patet ex eorum Alcorano, id est, libro legis eorum, in quo multa præclara dicuntur de Deipara.

diò multo afficere solent, fastidio, & nausea; nec plenè exsaturant: est gratiæ & gloriæ cibus potusque. est plenè ac verissimè satient, sui tamen desiderium esuriemque, dum magis magisque degustantur, magis magisque accendunt; quò plus gustantur, eò plus appetuntur.

Textus enodatus, & moraliter illustratus.

2222 Hæc eadem lectio vers. 29. retinetur in omni Græco Codice. Sententia est clara, de spiritualibus deliciis, donisque gratiæ

Hugo: gratiæ supernaturalibus animo conceptis. Hugo Carenis ita explicat: Qui edunt me in viâ, adhuc esurient, quia non est hic satietas, sed modica pragustatio. Satiabor autem cum apparuerit gloria tua. Subtextit verò: Edunt etiam sacramentaliter in Altari: edunt etiam spiritualiter fide; credere enim in ipsum est edere; unde Augustinus: Ut quid paras dentem & mentem? crede, & manducasti. Sic enim edere & bibere ipsum non satiat, sed magis famem & sitim excitat. Similiter Lyranus, Dionys. Carthusian. & alii interpretantur de his, qui spirituales gratiæ delicias in hac vita degustantes, ad cælestis convivii plenitudinem pertingere concupiscunt. Hinc videmus (subdit Carthusian.) quod quanto amplius quisque proficit, tanto ardentius cupit proficere. Quibus consonant alia D. Macharii Ægyptii verba, Homilia decima loquentis de perfectis hominibus. Quanto magis spirituale profectum in se senserunt, tanto plus esuriunt, ac sitim participationem, & augmentum gratiæ. Et quanto spiritualiter locupletiores sunt, tanto se pauperiores existimant: & absque satietate spirituali, desiderio feruntur erga Sponsam cælestem, ut ait Scriptura: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Adhuc Faustus Regiensis Episcopus, in Instructione ad Monachos ita egregie: Gratia de gratia nascitur, & profectus profectibus servium, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, ut quanto plus quis acquirere cæperit, tanto plus acquirere conetur, & quanto avidius de sapientia bonis haurierit, tanto plus haurire desideret; sicut ipsa de se loquitur Sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient.

2223 Esuriunt hæc & sitim bonorum spiritualium rectissimè explicat S. Hieronymus Epist. 1. quæ est ad Demetriadem Virginem to. 9. Divitiarum amor expleri nescit, bonorum cupido insatiabilis est. Celerem habitura res finem sine fine queruntur. Nos divinam sapientiam, cælestes divitias, immortales honores pigra quadam dissimulatione negligimus, & spirituales divitias aut ne attingimus quidem, aut si leviter degustaverimus, continuo nos putamus esse satiatos. Aliter nos divina Sapientia ad suas invitât epulas. Qui edit me, inquit, adhuc esuriat, & qui bibit me, adhuc sitiet. Nullus unquam talibus explebitur epulis, nec aliquando patitur de satietate fastidium. Tanto uniusquisque capaxior, tanto avidior erit, quanto inde plus haurierit. Dominus in Evangelio: Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Vult ergo nos esurire hic semper, & sitire justitiam, ut in futuro justitiæ retributione satiemur. Consimiliter S. Augustinus in Psalm. 62. ad illud, Sitivit in te anima mea. Et in Psalm. 121. ad id. Pauperes ejus saturabo panibus. Et S. Bernardus ferm. 22. de variis, & Origenes explicans illud Exodi 17. Sitivit ibi populus. Vide S. Nyssenum lib. de Beatitudinibus ad illam: Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam; ubi multa ad nostri Ecclesiastici verba elucidanda.

Esurios & sitios bonorum spiritualium.

S. Hier.

Pf. 62.

Pf. 121.

Exod. 17.

S. Thom.

Bona spiritualia quò magis gustantur, eò magis appetuntur.

quæ versamus. Et quæstione secunda, articulo primo rogans, Utrum beatitudo hominis constet in divitiis; ita dubium solvit: Summum bonum (in quo ait fiam esse nostram beatitudinem) quanto perfectius possidetur, tanto ipsum magis amatur, & alia contemnitur; quia quanto magis habetur, magis cognoscitur: & idè dicitur Ecclesiastici vigesimo quarto. Qui edunt me, adhuc esurient. Sed in appetitu divitiarum, & quorumcumque temporalium bonorum est e converso; nam quando jam habentur ipsa, contemnitur, & alia appetuntur. Et quidem verissimè: nam voluptates, & mundalia quævis bona, licet procul spectata alliciant, & sui desiderium moveant; gustata tamen fastidium pariunt usque ad nauseam. E contra verò gratiæ dona quò magis gustantur, eò magis appetuntur, & esuriuntur: & quod mirum est, cum satient, impleantque mentem, mens tamen satiata ulterius illis satiari & impleri desiderat.

2225 Hinc illa Ciceronis sententia pro Cæcho: Amores & deliciae mature & celeriter deflorescunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis, fastidium summum est. Nec mirum, cum omnis voluptas, que neque ex Deo, neque in Deo suscipitur, voluptatis incrementum sit: ut sapienter agebat Nicetas in Orationem trigessimam octavam Nazianzeni, secutus hunc Loctorem scribentem, Delicias non esse aliud, quam pretiosum stercus: pretiosum dixit, id est, magno labore, ac pretio comparatum. Ast verò propter Christum, ejusque spirituales veraque divitias, & delicias, Omnia detrimentum feci (ait Iulianus ad Philip. cap. tercio, vers. octavo) & arduior ut stercora, ut Christum lucrificiam. Cur non igitur carnales divitiæ fastidium & nauseam generent, cum degustantur? Cur non spiritualia gratiæ bona esuriem & sitim, sui que desiderium pariunt, & accendant, dum semel earum sapor & dulcedo percipitur? Lege S. Gregorium Homil. 36. in Evangelia.

2226 Cæterum, cum nos in præfixo argumento, Siracidis verba enodamus de æternæ etiam Beatitudinis deliciis, quibus Justitiam inebriantur, statuere oportet, nihil esse in sacris litteris frequentius, quam æternæ gloriæ voluptates ex clara Dei visione emergentes, cibi potusque nomenclaturâ designari. Psalm. decimo sexto, vers. decimo quinto. Psalm. trigesimo quinto, vers. nono. Isai. trigesimo tercio, & cap. sexagesimo quinto, vers. decimo tercio. Tobia: duodecimo. Matth. octavo, vers. undecimo. Luc. decimo quarto, vers. decimo quinto, & cap. vigesimo secundo, vers. vigesimo nono. Ego dispono vos, sicut disposui mihi Pater regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Etenim, licet in cælo Beati ubertim Dei gloriâ satientur, juxta illud Psalm. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua; nihilominus tamen sic Deum vident faciem ad faciem, ut in gloria satietas acuat desiderium, quin creet, vel auget fastidium. Satiantur enim videndo Deum, & tamen semper desiderant eum contemplari. Atque in hoc sensu æterna de se prædicat Sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Camerarius effert: Et qui de me bibit, sitiet me. Atque hoc illud forsitan est, quod Siracides

D d d 3 ajebat